

actiones specie, quia terminatio fiet ad distinctas Personas.

XX. Videtur tamen ex dictis etiam concludi, quod in nostra sententia substantialiter illæ actiones essent ejusdem speciei; sicut dealbatio in lapide, vel in homine sunt actiones ejusdem speciei, licet subjecta sint distincta specie, quia licet entitative specie differant, in ratione tamen subjecti albedinis univocantur. Ita Pater, et Filius, licet sint distinctæ Personæ relativæ, tamen in ratione personandi alias naturas creatas omnino univocantur, et eadem ratione terminant: cum ergo ex parte assumptium sit eadem virtus, et ratio terminandi alias naturas, solum sumenda est distinctio specifica ex parte naturarum, quas assumunt; et cum sint ejusdem speciei humanitas assumpta a Patre, et a Filio, erunt actiones ejusdem speciei.

AD FUNDAMENTA CONTRARIA RESPONDETUR.

XXI. Ad primum fundamentum primæ sententiæ, ita asserens: Forma, seu id quod habet rationem actus est terminus formalis; sed personalitas Verbi habet rationem actus terminantis humanitatem, et eam complentis; ergo habet rationem termini formalis: respondetur, Distinguo minorem, personalitas Verbi habet rationem actus terminantis, suppositaliter, et personaliter, concedo; rationem actus terminantis formalis, seu constituentis per modum formæ ipsum totum, quod resultat, nego. Jam autem ostendimus, quod in actione non habet rationem termini formalis illa actualitas, quæ ex subjecto sustentante, aut suppositante resultat in forma, seu natura, sed illa actualitas, quæ informat, et constituit per

modum actus primi in esse talis, ut hominem natura humana, album ipsa albedo, etc. Sic autem non ipsa personalitas Verbi, sed natura humana constituit Verbum hominem, et consequenter est formalis terminus actionis incarnativæ.

XXII. Ad id quod additur, quod esse communicatum humanitati est esse increatum, fatemur: cæterum non est hoc esse, quod est terminus formalis alicujus actionis; non enim esse existentia, sed esse essentia, seu naturæ est terminus formalis specificans actionem: existentia enim non specificat, sed ultimo terminat, nec enim dealbatio, verbi gratia, ab existentia, sed ab albedine specificatur, et distinguitur a calefactione, vel alia actione inductiva alterius termini. Et generaliter esse specificans non est esse existentia, sed forma, seu natura, et actus primus, non ultimus in essendo.

XXIII. Sed adhuc objicit Nazarius supra articulo octavo, controversia II, et Lorea ibidem, auctoritatem D. Thomæ; Nazarius quidem, quia D. Thomas hic articulo ad secundum inquit: « Humanam naturam ex tempore advenire Verbo, non quasi assumptam ad unum esse prout est naturæ, sed ad unum esse prout est suppositi (idque comparat resurrectioni) sicut corpus tunc adveniet animæ præexistenti. » Ergo sentit sanctus doctor esse personale Verbi se habere ut terminum hujus actionis, quatenus per illam communicatur humanitati. Similiter in articulo octavo dicit, quod assumptio determinat terminum a quo, et ad quem; dicitur enim assumptio quasi ab alio ad se sumptio; et terminus a quo denotat humanitatem a qua fit assumptio.

XXIV. Respondetur, quod in utroque loco loquitur S. Thomas de termino ad quem in obliquo, et in connotato, non simpliciter et directe;

eo quod illa actio directe non est assumptio, sed directe est incarnatio, seu Verbum fieri hominem; quod stare non potest sine assumptione. Quia ergo assumptio, ut assumptio respicit per modum termini ad quem id ad quod res assumitur, et pro termino a quo non rem assumptam, sed quasi locum inferiorem unde assumitur; inde est quod terminus assumptionis, ut sic consideratæ, est persona.

XXV. Sed hæc assumptio potest dupliciter convenire alicui actioni: uno modo primario, et directe, sicut qui e loco superiori trahit rem aliquam ad se, primo, et per se assumit, seu ascendere facit: alio modo secundario, seu ex consequenti, seu connotato; sicut subjectum, ex eo quod dealbatur trahit albedinem ad suum esse, non tamen primo, et per se assumit, sed primo, et per se facit album; connotat tamen assumptionem. Sic in præsentī incarnatio primo, et per se facit Verbum hominem, et ex consequenti assumit naturam ad esse Verbi. Quare cum sit eadem actio assumptio, et incarnatio sola ratione differens, ut ipse S. Thomas se explicat articulo VIII, solutione ad tertium, oportet quod non assignemus illi duos terminos primarios, et directos, sed unum, et cum non supponatur humanitas, ut ei adveniat divinitas, sed Verbum ut fiat homo, sicut explicat Scriptura, dicimus terminum formalem esse humanam naturam, et sic illam actionem esse incarnationem, et in connotato assumptionem.

XXVI. Ad fundamentum sententiæ Suarez respondetur terminum actionis esse posteriorem actione: humanitatem autem, et Verbum præsupponi ad actionem, distingo; humanitatem ut entitative, transeat; potest enim tempore præcedere humanitas, et postea assumi; informative, nego. Hoc enim fit per incarnatio-

nem, ut humanitas informet Christum, et constituat illud totum, quod resultat. Et quando dicitur, quod id quod fit per actionem solum est unio, distingo; id quod fit ut forma unita, seu ut informans, nego; id quod fit ut applicatio formæ, concedo. Et rursus, hoc quod fit per actionem est terminus formalis, distingo; quod fit ut applicatio formæ, nego; quod fit ut forma constituens, seu informans, concedo; unio autem non fit, nec producit ut forma constituens, sed ut applicatio formæ.

XXVII. Et licet incarnatio ex se loquendo non faciat humanitatem quasi entitative, facit tamen illam ut informantem hominem tantum, et hoc suppositum. Sicut in resurrectione non fit anima entitative, sed fit ut forma constituens. Et si albedo existens poneretur in subjecto, dealbatio non produceret albedinem ut ens, sed ut formam, id est, sub officio informandi; et sic ipsa forma est terminus formalis in istis actionibus, non autem unio, quæ non fit ut forma, sed ut applicatio formæ.

ARTICULUS III.

*Utrum unio sit aliquis modus de novo productus ex parte humanitatis; an sola relatio?*

I. Fere inter omnes auctores convenit unionem Verbi, et humanitatis esse aliquid reale, ita quod per realem aliquam dependentiam, et immutationem humanitatis respectu Verbi, dicatur ei unita. Sic agnovit S. Thomas supra questione prima, articulo primo ad primum, dum dixit: « Deum per hanc unionem non fuisse mutatum, sed creaturam mutatam fuisse uniendo eam sibi. » Idque confirmat in hac questione



II, articulo VII. Et censeo esse dignum censura, qui simpliciter, et ut jacet, negaret hanc propositionem: Unio incarnationis non est realis. Ratio est, quam supra diximus articulo præcedenti, quia in anathematismis Cyrilli, anathemate III, in quinto tomo Concilii Ephesini expresse dicitur: « Anathema iis, qui non dixerint unionem illam esse physicam, » quod Cyrillus explicavit realem, seu veram; ergo unio Verbi incarnati aliquid reale est; et qui oppositum hujus dixerit, ut jacet censura esset dignus, ut a Concilio Ephesino, et Cyrillo censuratur. Et constat, de novo, et in tempore Deum esse hominem factum, et Verbum esse factum carnem, quod utique aliquid reale est, utpote factum a Deo; unio ergo Dei, et hominis realis est, si quidem unitum esse, realis effectus est.

II. Secundo constat aliquam relationem realem intervenire inter hæc extrema unita, quia in unitate, seu unione, et convenientia fundatur vera relatio realis; ergo cum hæc extrema unita sint, relationem realem fundant; sicut et omnia alia extrema unita habent relationem realem; et cum hæc relatio non possit esse realis ex parte Dei, quia non est capax illius in tempore, fit ut solum ex parte naturæ humanæ sit realis; si quidem realiter dependet a Verbo, ut a subsistentia terminante: ex parte autem Dei est rationis.

III. Difficultas reducitur ad intelligendum fundamentum hujus relationis, et an illa relatio prædicamentalis sit, et secundum esse; si vero non sit prædicamentalis, et secundum esse, sed secundum dici, sive relatio transcendentalis, quid sit; an aliquis modus, vel aliqua realitas; aliquid substantiale, vel accidentale. Cum enim humanitas veniatur realiter immutata, per

hoc quod trahatur ad esse suppositale Verbi, et realiter fiat dependens ab illo (et hoc non est ipsa sola substantia humanitatis, quæ sine tali immutatione, et dependentia inveniri potest) difficile est explicare, quid sit illud ultra substantiam humanitatis, aut ei superadditum, quo immutata, et dependens redditur a Verbo? Sola enim relatio esse non potest, quia hæc consequitur ipsam unionem factam, et est posteriori ipsis extremis unitis, quare non potest esse ratio uniendi; nec primo immutans, et dependere faciens humanitatem a Verbo.

IV. Propter hoc valde divisi sunt auctores in explicanda hac unione, quæ relationem ipsam præcedat, et sit quasi fundamentum ejus, et ratio, constituatque humanitatem dependentem, et immutatam respectu personalitatis Verbi. Et ommissa opinione eorum, qui dixerunt esse qualitatem quamdam supernaturalem additam humanitati, qua formaliter humanitas dicitur unita Verbo, quod bene impugnat Suarez hic disputatione VIII, sectione II, quia sic unio illa formaliter non esset substantialis, sed accidentalis; nec est dabilis qualitas de se exclusiva substantialis suppositi creati, et incompatibilis eum illo, cum qualitas non opponatur formaliter substantiæ, illa autem unio ad hypostasim Verbi non deberet esse compatibilis cum supposito creato humanitatis, quia loco illius introducit substantialesuppositum Verbi. Hæc, inquam, opinione ommissa, tres invenio celebriores sententias.

V. Prima est Scoti, in III, dist. XI, quæstione prima, quam refert, et refutat Cajetanus, hic art. VIII, dub. V, qui dicit nihil novum absolutum poni in natura, neque in persona, sed tantum relativum; illum autem respectum non esse de genere eorum, qui necessario consequuntur

ad fundamentum, sed esse respectus extrinsecos advenientes, quos Scotus ponit, et ad illos, dicit, determinari posse actum. Sicut si anima, et corpus præexisterent, et unirentur, aut quantitas, et panis in sacramento, nihil absolutum in hujusmodi unionibus acquireretur, fundans unionis relationem, sed ad ipsam unionem terminaretur actio unitiva.

VI. Secunda sententia est Cajetani hic art. VII, §. In hoc articulo cautissime, et articulo X, §. In responsione ad primum, qui dicit solum tria inveniri in hac unione, scilicet unitas, seu divisio in esse personali Verbi; utraque enim natura habet esse indivisum idem personæ Verbi. Secundum est mutatio, seu passio humanitatis, qua trahitur ad esse personale Verbi antea in se subsistens, et temporaliter in humana natura etiam subsistens. Tertium est relatio unionis super hanc conjunctionem, seu unitatem fundatam, quæ unitas dicit ipsum esse increatum personale, ut est unum esse naturæ humanæ, et divinæ mediante illa tractione, seu immutatione naturæ ad tale esse.

VII. Ponit exemplum: Si Deus creasset animam ab æterno extra corpus, et modo in tempore uniret eam corpori, clarum est, quod esse illud communicatum corpori non incepisset in tempore, nec unitas corporis, et animæ in illo esse æterno animæ, in quo uniuntur, quantum ad illud esse æternum, non incepisset in tempore, sed quantum ad tractionem, qua traheretur corpus ad esse animæ incepisset in tempore, et in illa unitate, seu conjunctione, aut indivisione in esse, quæ constat ex esse antiquo animæ, et tractione nova corporis ad illud esse, fundaretur relatio unionis inter animam, et corpus, quæ non esset medians inter extrema, sed

consequens illorum conjunctionem.

VIII. Tertia sententia est patris Suarez disputatione VIII, sectione II, et fere sequitur Vazquez disput. XVIII, cap. III, in humanitate esse ponendam tamquam rationem, et medium uniendi, et immutandi humanitatem, non qualitatem, nec relationem, sed quemdam modum substantialem creatum supernaturalem, quo dicatur humana natura immutata, et tracta substantialiter ad esse personale Verbi, et quasi in existens illi, non ut subjecto, sed ut supposito.

IX. Hunc modum Vazquez appellat modum relatum, dicens non distingui a relatione, quia existimat transcendentaliter dicere ordinem ad Verbum, ut terminum naturæ; sicut creatura dicit transcendentalem ordinem ad creatorem; atque adeo non loquitur de relatione prædicamentali, et secundum esse, sed secundum dici; quod non extrahit illum a ratione absoluti, neque trahit ad prædicamentum relationis. Et sic non differt a sententia Suarez, videturque hanc sententiam prius docuisse Durandus in III, distinct. V, quæst. II, ubi dicit terminum hujus actionis esse modum quemdam realem, sicut inhærere est modus quidam realis consequens naturam accidentis. Variis argumentis solet probari hæc sententia, sicut etiam variis modis explicari, quod munus, et effectum præbeat ille modus substantialis, et quomodo excludat subsistentiam creatam, vel disponat, aut præparet naturam ad subsistendum in Verbo, vel sit actus derivatus a terminatione Verbi. Nam his omnibus modis explicari solet a suis auctoribus.

X. Præcipua tamen fundamenta, quæ ad hunc modum ponendum eos movet sunt tria. Primum, quia est necessarius ad fundandam relationem realem unionis; secundum,



quia est necessarius ut natura sit realiter, et substantialiter immutata, et dependens a subsistentia Verbi: tertium, quia est necessarius ad terminandum novam actionem, quæ versatur circa humanitatem, non ut producendam, sed ut uniendam Verbo.

XI. Et primum patet, quia illa relatio unionis est realis ex parte naturæ humanæ, et fundatur in aliquo reali; ergo in aliquo, quod intrinsece sit in natura humana: sed non in ipsa substantia, aut quidditativo prædicato nude considerato, quia totum, quod est in humanitate, salvari potest sine hac unione, si quidem dimitti potest a Verbo; ergo oportet quod sit aliquid superadditum humanitati: vel ergo illud superadditum est aliquid creatum, vel increatum. Increatum esse non potest; tum, quia quidquid est increatum in Christo est terminus relationis, et alterum extremum; ergo non fundamentum; tum, quia ratio fundandi tunc esset ex parte humanitatis eadem, quæ ex parte personæ: quando autem ratio fundandi est eadem in utroque extremo, relatio resultans est rationis; ut de æqualitate, et similitudine inter divinas Personas. Sic docet S. Thomas 1 part. quæst. XLII, art. 1. Si autem est aliquid creatum, non potest esse aliquid accidentale, quia sic unio accidentalis esset; ergo aliquid substantiale, non per modum formæ, aut materiæ, quia hoc totum est entitas humanitatis; ergo per modum modi.

XII. Secundum vero probatur, tum exemplis, tum ratione. Exemplis quidem, nam in resurrectione, cum anima unitur corpori, necesse est, ut in ipsa anima, aut corpore, vel in utroque fiat aliqua mutatio; nam ex eisdem omnino immutatis non potest resultare homo; ergo oportet addere aliquid supra entita-

tes utriusque partis, ut totum resultat, quod non potest esse aliud, quam modus substantialis. Similiter in unione accidentis ad corpus, præter entitatem accidentis, requiritur aliquis modus inhærentiæ, quo ipsi subjecto uniatur, eique inexistat; ergo similiter, et in humanitate oportet fieri aliquem modum, quo reddatur inexistens, et dependens a Verbo, non inhærensive, et accidentaliter, sed substantialiter, ideoque substantialis modus est.

XIII. Ratione etiam probatur Suarez, quia subsistentia creata intelligitur esse aliquis modus absolutus substantialis in natura creata, omnino in se terminatus, vel potius terminans naturam creatam: sed hic modus est exclusus per unionem ad Verbum in humanitate Christi; ergo recte intelligitur per hanc unionem fieri aliquem modum substantialem primo impossibilem, non ultimo terminantem naturam, sed constituentem illam in Verbo, ut ibi ultimo terminetur.

XIV. Confirmatur ex Vazquez, nam ut humanitas subsistat, et terminetur per Verbum, necesse est aliquid constituere in humanitate, præter essentiam illius; implicat enim contradictoria enuntiari de aliquo vere, nisi facta aliqua mutatione circa illud intrinseca, vel extrinseca; ergo ut humanitas dicatur modo unita Verbo, et ante non unita, necesse est, quod in ipsa fiat aliqua mutatio, et non sola negatio, seu ablatio propriæ personalitatis, quia nuda, et mera negatio propriæ personalitatis non habet connexionem cum Persona divina; nec magis cum Persona Verbi, quam cum Persona Patris, aut Spiritus sancti: nec modus propriæ personalitatis destrui posset, nisi mediante alio modo formaliter corrumpente propriam personalitatem, mediante quo terminetur ab aliena. Debet

ergo aliqua positiva mutatio poni in humanitate; et non sola productio humanitatis, quia hæc de se non attingit unionem ad Verbum, sed educationem humanitatis extra causas; neque aliquam qualitatem, aut relationem, quia non unitur medio aliquo accidentali; ergo aliquem modum substantialem non quidem absolutum in se, quia non reddit illam naturam in se terminatum a Verbo; ergo modum relate se habentem ad Verbum.

XV. Tertium denique probatur, quia omnis actio postulat terminum de novo fieri in rerum natura, vel saltem novo modo; sed incarnatio non habet pro termino novo humanitatem, neque Verbum, ergo aliquem humanitatis modum quo uniatur Verbo. Et est simile in transubstantiatione, quæ est actio substantialis attingens corpus Christi, non in se, quia supponitur productum, sed quantum ad aliquem modum de novo productum, alias nihil esset, quod de novo terminaret hanc actionem: ergo similiter in humanitate Christi, necesse est, quod producat aliquid modus substantialis, ratione cuius illa actio habeat terminum de novo productum.

#### STATUITUR CONCLUSIO.

XVI. Nihilominus, his non obstantibus, dicendum est, non dari talem modum substantialem, qui sit quasi medium, et vinculum uniendi naturam humanam divinæ, sed unionem formaliter esse relationem consequentem; non causantem conjunctionem naturarum in Verbo. Fundamentum autem ejus non est aliquid medium inter naturam assumptam, et personam, sed mutatio, qua tracta est humanitas ad esse personæ; quæ in ipsa natura nihil aliud est,

quam passio ex actione uniliva proveniens, qua dependens facta est a persona.

XVII. Hanc resolutionem colligo ex D. Thoma, qui expressis verbis eam tenet. Nam in III, distinct. II, quæst. II, artic. II, quæst. I, sic dicit: « Sciendum est, quod in humanæ naturæ unione ad divinam, nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur, quam divinæ Personæ. Sicut enim inter materiam, et formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis; alias esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile: ita etiam inter naturam, et suppositum non potest aliquid dicto modo cadere medium. »

XVIII. Et quæstione secunda loquens in terminis de unione dicit, quod: « Inter humanam naturam, et divinam necesse est cadere unionem mediam, non sicut causam, sed sicut effectum conjunctionem naturarum consequentem. Est enim natura relationis, ut in aliis generibus rerum causam habeat, quia minimum habet entitatis. Unde quamvis relatio per se non terminet motum, quia ad aliquid non est motus, tamen ex hoc quod motus terminatur ad aliquod ens, consequitur de necessitate relatio aliqua. Sicut ex hoc quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis. Similiter etiam ex hoc quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur hæc relatio secundum quam sub forma esse dicitur materia. Ita ex hoc quod motus assumptionis humanæ naturæ terminatur ad personam, consequitur hæc relatio, quæ dicitur unio, unde unio est medium non sicut assumptionem causans, sed potius sicut esse consequens. »